

05

A

737



^{I.} ^{N.} ^{J.}
R E C T O R
ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS,
JOHANN. ANDREAS
QVENSTEDT, QVEDLINBURGO-
SAXO, S. S. THEOL. DOCTOR, EJUSDEMQUE
PROFESSOR PUBL. UT ET ELECTO-
RALIUM ALUMNORUM EPHORUS,
LECTURIS
GAUDIA PASCHALIA
IN JESU REDIVIVO!

WITTEBERGÆ
Typis JOH. BORCKARDI, Acad. Typogr.

(1681)

88



05 A 737

Heri cum Christo in crucem agebar: hodiè
simul glorificor. Heri commoriebar: hodiè simul vivificor.
 Heri conspeliobar: hodiè simul resurgo. At verò ei, qui pro
 nobis passus est, ac resurrexit offeramus, aurum fortassè me di-
 cere putatis, aut argentum, aut texturas, aut pellucidos & ingentis pre-
 cii lapides, fluxam fragilemque terram materiam, humiq; manentem, cu-
 jusque majorem partem improbi ferè possident, & servi rerum terrena-
 rum ac mundi Principis! Immo verò nosmetipsos offeramus, hoc est,
 opes DEo charissimas maximèque congruentes. Imaginis decus imagini
 reddamus, dignitatem nostram agnoscamus, exemplar nostrum honore
 prosequamur, mysterii vim intelligamus, & pro quo Christus morte
 functus est. Simus ut Christus, quoniam Christus quoque, sicut nos. Efficiamur
 Dei propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo. Assumpsit
 quod deterius erat, ut det, quod præstantius est: Mendicus factus est,
 ut nos illius mendicitate ditetur: servi formam suscepit, ut nos in li-
 bertatem asseramur. Descendit, ut evehamur: tentatus est, ut vin-
 camus: contemptus est, ut nos gloriâ afficiat: mortuus est, ut salutem
 nobis asserat: ascendit, ut eos, qui in peccati lapsu jacebant, ad seipsum
 trahat. Omnia quispiam donet, omnia ei, qui seipsum redemptionis
 pretium pro nobis, ac culpæ nostræ succidaneum dedit, offerat. Ita monet
 Orator Ecclesiæ Græcæ celeberrimus S. Gregorius, Nazianzenus Epi-
 scopus, hoc resurrectionis festo solenni. Sequamur monentem. Ne-
 mo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur, dicente Apostolorum
 Coryphæo. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Do-
 mino morimur. Sive ergò vivimus, sive morimur, Domini sumus. In
 hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut & mortuis & vivis
 dominetur. Rom. XIV. 7. 8. 9. Pascha Domini, Pascha, iterumque
 Pascha dicam, in honorem TRINITATIS. Hac nobis festivitatum fe-
 stivitas, & celebritatum celebritas, tantò ceteris omnibus non solum
 humanis & humi defixis, sed iis etiam, quæ ipsius Christi sunt, ac
 propter ipsum celebrantur, superior, quantò sol stellas antecedit. Hodiè
 salus mundo (facta est) tam visibili, quàm invisibili. Christus ex mortuis:
 simul surgite. Christus ad sese: redite. Christus ex sepulcro: Peccati vin-
 culis solvamini. Portæ inferni aperiuntur, & mors opprimitur, & ve-

tus Adam deponitur, & novus perficitur: Si qua nova in Christo creatura, renovemini: ut iterum hortatur Nazianzenus.

Ut autem magis magisque excitemur ad gaudia Paschalia, & resuscitati in Christo ad vitam spiritualem resurgamus, agite, paucis Angelicum nuncium meditabimur, RESURREXIT. Hoc enim Christum à mortuis redivivum prædicat, ut & nos spiritualiter resurgentes in ipso vivamus. Innuit ita cœlestis legatus, Christum RESURREXISSE, hoc est, non alienâ virtute, sed vi propriâ in vitam rediisse, & à mortuis surrexisse. Habuit enim ipse *potestatem animam, seu vitam, ponendi, habuit & potestatem vitam iterum resumendi Joh. X. 18. Templum corporis sui dissolutum in morte, rursus in tribus diebus excitavit, resurgens à mortuis Joh. II. 19. seq. ideoque demonstratus est Filius DEi in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Rom. I. 4. utpote qui traditus propter peccata nostra, & resurrexit propter justitiam nostram Rom. IV. 25. in quem locum Origenes: Si surreximus cum Christo, qui est justitia, & in novitate vitæ ambulamus, & secundum justitiam vivimus, surrexit nobis Christus ad justificationem nostram. Si verò nondum deposuimus veterem hominem cum actibus suis, sed in injustitia vivimus, audeo dicere, quod nondum surrexit nobis Christus ad justificationem, nec traditus est propter peccata nostra. Si etiam hoc credo, quod ille ad justificationem meam surrexit, quomodo in injustitia placet?*

Non sui causa mortuus est, sed nostri causa: quia per mortem suam nos à morte redimere debuit, voluit, & per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium, hoc est, Diabolum Ebr. II. 14. Idcirco triumphale gaudium nobis peperit resurrectione suâ, ut læti canere possimus: *Absumpta est mors in victoriam, ubi tuus, & mors, stimulus? ubi tuus, inferne, victoria? Stimulus verò mortis est peccatum: Virtus autem peccati lex. DEo autem gratia qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM 1. Cor. XV. 54. 55. 56. 57. Es. XXV. 8. Hos. XIII. 14. Sanguine Christi conspersa creditur Adami Calvaria, qui sub loto, quo crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis: ejusdem sanguinis sanctificati elapsi dicente, ac monente S. CYPRIANO MARTYRE, lætemur & delectemur in Domino, nec jam amatoribus crucis mors Magistri sit horror*

horrori, neq; pœna sit dolori, nec passio sit pudori, cum hæc omnia vi-
ta nostræ sint instrumenta: quia mors ejus pro peccatis sacrificium
nostrum fuit, & pœna crucis excessibus pœna dignis occurrit; labor
ejus onera nostra deposuit, dolor ejus nos sanavit, & sanatio indebita
nos à damnatione æterna absolvit. Tu morti, Christe, imperas, &
absorpta eliditur, inanescit corruptio, ubi ager, te medente sanatur.
Sustasti mortem pro filiis hominum, ut, qui tecum mortui erant,
tecum viverent, & participes tribulationum etiam consolatione gau-
derent. Cantemus igitur Domino, gloriosè enim honorificatur, &
liber populus egreditur de Ægypto, Moysè duce, mare fit perviam,
columna flammea nocte coruscans Israëliticum antecedit exercitum:
stat à dextra & lava mare suspensum desiccato luto profundi, inoffen-
sum abyssus dat transitum: Et egresso populo DEI Pharaonem cum
populo suo repentina morte illapsum pelagus intercludit. Jam præ-
cesserat agnus, quem Israël in Ægypto immolarat, cujus sangvi-
ne limina rubricata percussor Angelus non est ausus attingere: nec
exterminatoris gladium populus formidabat. Cui & de spirituali-
bus nequitiis parabat victoriam illud sine macula sacrificium & mare
divisum, & totum Ægypti robur extinctum.

Primum illud antiquum Pascha his miraculis coruscavit, &
excluso fermento præceptum est, ut horum dierum celebritas agere-
tur in azymis, nec solennitatis hujus gaudia servilibus operibus fu-
scarentur, nec omninò aliqua tantæ sinceritatis gloriam malignitas
inquinaret. Quantò magis ergò Pascha nostrum sanctè haben-
dum, religiosè celebrandum? Etenim Pascha nostrum est Chri-
stus: ideoq; epulemur non in fermento vitii, neq; in fermento malitiæ
& nequitia, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Expurgate igitur
vetus fermentum, ut sitis novæ conspersio, sicut estis azymi I. Cor.
V. 7. 8. Hæc est dies, quam fecit Dominus, letemur & exulemus in
ea. Quia enim in electis suis funditus occidit mortem, mors mor-
tis extitit. Totum enim Dominus noster Jesus Christus illum tene-
brarum & mortis principem colligavit, legiones illius perturbavit,
portarum inferni vectes ferreos confregit, omnes justos, qui origi-
nali peccato astricti tenebantur, absolvit, captivos in libertatem pri-
stinam revocavit, peccatorum tenebris obscuratos splendidâ luce per-
fudit,

fudit, ut habet B. August. Serm. CXXXVII. de tempore. Et porro: Advenisti Redemptor mundi, advenisti, quem desiderantes quotidie sperabamus. Advenisti, quem nobis futurum lex nunciaverat, & Propheta. Advenisti donans in carne bonis indulgentiam peccatoribus mundi, solve defunctos inferni. Et Serm. CLXIII. Pascha Christi regnum est cœli, salus mundi vita credentium, occasus inferni, gloria superiorum, resurrectio mortuorum, testimonium resurrectionis divinæ, pretium redemptionis humanæ, cognitio mortis abolitæ.

Resonet ergo semper in ore nostro Christi resurrectio, semper ad mentis nostræ auditum transmittatur, ut mors, quæ nostros semper obsidet sensus cum terrore suo, cum lamentis suis à nostris sensibus effugetur, ut monet Petrus Chrysologus Serm. CXIIX. Ex hoc, inquit Leo MAGNUS Serm. I. de Resurrectione Domini, initium nobis factum est Resurrectionis in Christo, ex quo in eo, qui pro omnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit. Non hæsitamus diffidentiam, nec incertam expectatione suspendimur, sed accepto promissionis exordio, fidei oculis, quæ sunt futura, jam cernimus: & naturæ provectione gaudentes, quod credimus, jam tenemus. Non ergo nos rerum temporalium occupent species, nec ad se contemplationem nostram, à cœlestibus terrena deflectant. Pro transactis habeantur, quæ ex maxima parte jam non sunt: & mens intentam mensuris, ibi desiderium suum figat, ubi quod offertur, æternum est. Nemo in id recipiat, unde surrexit; sed etiam si pro infirmitate corporea in aliquibus adhuc langvoribus jacet, sanari instanter desideret ac levari. Hæc est enim salutis via, & cœpta in Christo resurrectionis imitatio, ut quia in lubrico istius vitæ diversi casus lapsusque non desunt, vestigia gradientium à fluidis ad solida transferantur. Hæc meditatio, dilectissimi, non pro solennitate Paschali, sed pro totius vitæ sanctificatione retinenda est, & ad hoc præsens exercitatio debet intendi, ut quæ animum fideli experimento brevis observantiæ delectarunt, in consuetudinem transeant, intemerata permaneant, ac si aliquid delicti irrepsit, celeri pœnitundine deleatur.

Crux enim Christi, ait idem S. Pater Serm. II. de Resurrectione Domini, quæ salvandis est impensa mortalibus, & sacramentum

Crux

est, & exemplum. Sacramentum, quo virtus impletur divina: exemplum, quo devotio incitatur humana: quoniam captivitatis jugo erutis, etiam hoc praestat redemptio, ut eam sequi possit imitatio. Nam si mundana sapientia ita in suis gloriatur erroribus, ut quem sibi quisq; ducem elegerit, ejus opiniones & mores atq; omnia instituta sectetur, quae nobis erit communio nominis Christi, nisi ut ei inseparabiliter uniamur, qui est, ut ipse insinuavit, *Via, & Veritas, & Vita?* *Via* scilicet conversationis sanctae, *Veritas* doctrinae, & *Vita* beatitudinis sempiternae. Ei incunctanter itaq; dilectissimi, corde credimus, quod ore profiteamur: nos in Christo crucifixi, nos sumus mortui, nos sepulti, nos etiam in ipso die tertio suscitati. Unde Apostolus dicit: Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est, in dextra DEI sedens: quae sursum sunt, sapite, non quae super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO. Quum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.

Resurrectio Christi, ait MAXIMUS homil. II. pasch. p. 218. defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. In Resurrectione Christi elementa omnia gloriantur. Nam & solem ipsam arbitror esse in hac die solito clariorem. Necessse est enim, ut sol in ejus resurrectione gaudeat, in cujus passione condoluit: & cujus mortem lugubri quadam caligine persecutus est, ejusdem vitam nitidioris lucis splendore suscipiat, & tanquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturae, modo coruscet in resurrectionis obsequium. Et homil. III. p. 219. Latemur ergo in Christi resurrectionis die. Communis enim omnium, communis est nostra letitia. Communis plane: quia omnes illo resurgente surreximus. Omnium enim revixit saluti, qui pro omnium peccatis addictus est passioni. Non immerito in hoc die Sanctus David (Ps. CXIIX.) sine exceptione exultandum praecipit, & letandum: in qua die totius mundi gaudia celebrantur: omnibus enim letandum est, quia omnibus prodest. Cunctis exultandum est, quia cunctis est salutare: & ideo non adulatoria est adhibenda, nec fucata letitia. Quisq; enim in Christi resurrectione letatur: letetur potius, quia in Christo ipse surrexit. In illo enim nostra portio, nostra conditio, & mor-

ideo

rem pertulit, & revixit. Est enim in illo Christi homine unius cu-
jusq; nostrum carnis & sanguinis portio. Ubi ergo portio mea regnat,
regnare me credo: ubi dominatur sanguis meus, me sentio domina-
ri: ubi glorificatur caro mea, me gloriosum esse cognosco. Exulte-
mus ergo, fratres, ait Scriptura, in hac die Domini exultemus plane:
quia cum votis Domini gratulamur, magis nostra vota curamus.
Quid tantum dicit Propheta? Hæc est dies, quam fecit Dominus.
Bonus planè dies, qui lucem intulit universis: verum non hujus
seculi lucem, sed resurrectionis æternæ. Lux enim ista non caligi-
nem noctis detulit, sed mortis tenebras amputavit. Bonus, inquam,
dies: & melior hic, quam ille, in quo primum mundus enituit. Ille
enim hominibus ad laborem creatus est; hic factus est ad quietem. Ille
mortem metuit: hic formidinem mortis evasit. Ille bonis malisq;
communis est; hic proprius est justorum. Illius diei lux tenebris
sepelitur, hujus diei splendor etiam sepulturas illuminat. Ad po-
stremum illius diei lucem mortui non vident: hujus diei lumen etiam
defunctis emicuit.

Sed hæc, sine dubio, hoc solenni Resurrectionis festo latius
exequentur Verbi Ministri, præcones Resurrectionis Dominicæ
ordinarii. Quos ut audiatis devotè, monitisque eorum pareatis
sedulò, hortamur paternè. Sic fructus resurrectionis Salvatoris
sefe exerent in vobis frequentes, & salutare, ut gratiam salutif
ram fide suscipiatis, & abnegatis cum impietate secularibus deside-
riis, clamoribus cyclopicis nocturnis, comessationibus, compota-
tionibus, impudicitis, criminationibus, pasquillorum studiis,
digladiationibus & similibus tenebrarum operibus, in æternas
tenebras præcipitantibus, sobriè, justè, & piè vivatis in hoc secu-
lo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni DEI,
& Salvatoris nostri JESU CHRISTI: denique gratitudinem te-
stantes S. Ministerio, ad aram deponatis consveta sacrificia. Ita
propitius sit Vobis Dominus, ob Resurrectionem gloriosam,
reddatque vobis vi meriti sui cuncta millies! P. P. Sub Sigil-
lo Academia, vigiliâ, Resurrectionis Dominicæ
Wittebergæ Anno G. N. M DC XXCl.


W. N.

05 A B?

ULB Halle 3
003 766 90X







Farbkarte #13

B.I.G.

I. N. J.
 R E C T O R
 ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS,
 JOHANN. ANDREAS
 P R E S B Y T E R
 P R O F E S S O R
 P H I L O S O P H I E
 P R O F E S S O R
 P U B L I C I
 U T
 E T
 E L E C T O
 R
 A L I O R U M
 A L U M N O R U M
 E P H O R U S,
 L E C T U R I S
 A U D I A
 P A S C H A L I A
 I N
 J E S U
 R E D I V I V O !

WITTEBERGÆ
 JOH. BORCKARDI, Acad. Typogr.

(1681)

88

